



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi**

**Johannes <Climacus>**

**Coloniae, 1583**

**VD16 J 520**

Vita, & mors anachoretæ eiusdem Monasterij serui Dei. Capvt. LXXXIII.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

in domum naucleri, dixit illi: Vade ad nauclerā tuam, & deduc illam in mare. Nauclerus autem credens verbis senis, abiit cum paucis, illisq; trahentibus, mox in mare deducta est nauis.

1 *Ecce oratio cum prostratione.*

2 *Vide mirum effectum signaculi sancte Crucis.*

*Vita, & mors anachoreta eiusdem Monasterij serui Dei.*

C A P V T. LXXXIIII.

**E**Iusdem monasterij patres narrauerunt nobis, dicentes: Anachoreta quidam in his montibus erat, magnus valde secundum Deum, plurimos annos vitam solitariā ducens. Mortuus est autem in parua quadam spelunca, nobis nescientibus. Arbitrabamur enim omnes, quod ad aliam eremum migrasset. Nocte verò quadam venit in somnis, & apparuit ei, qui nunc est pater noster, bono, & optimo pastori, Abbati Iuliano, dicens: Sume tecum aliquos, & veni, tollent me de loco, vbi iaceo, in monte, qui vocatur Cereuus. Sumpsit igitur quosdā ex nobis pater noster, & ascendit in montem, quem ille dixerat. Cū per plures horas quæsissemus, non inuenimus Anachoretę reliquias, Erat enim speluncę ingressus pro tempore niuib; & lignis coopertus. Cū ergo non inuenissemus, dixit senior: Venite descendamus, filij. Cūq; descendere inciperemus, ecce caprea venit, & stetit non longē à nobis, cepitq; pedib; suis humū fodere. Quod cū pater noster aspiceret, dixit nobis. Credite mihi, filij, illic sepultus est seruus Dei. Fodientes igitur inuenimus corpus eius integrū: quod sublatum in monasterium, cum honore sepeliuimus.

1 Si sancti viri in somnis apparent, & loquuntur hominibus. nō verè possunt dici emortui, vt mentiuntur heretici.

2 Vides quo modo viri Deo dicati cum honore sepeliuntur?

Quomodo Triticum eiusdem monasterij germinauerit propter cessationem consuetudinis elemosynæ.

## CAPVT LXXXV.

**N**arrauerunt autem nobis rursus & hoc dicentes: Consuetudo fuit, vt in cœna Domini pauperes omnes, & pupilli regionis huius confluerent huc, & acciperent medium tritici sextarium, benedictiones tredecim, & sextarium vini, mediumque sextarium mellis pro quolibet. Ante hoc autem triennium, magna tritici sterilitas fuit, vendebaturque triticum in regione hac, sextarij XII vno numismate.

Cum ergo venissent ieiunij dies, dicunt Abbati nostrò quidam ex patribus: Noli, domine Pater, secundum consuetudinē dare pauperibus triticum, ne desit monasterio, Triticum enim nō inuenitur. Abbas autem cœpit dicere fratribus: Non infringamus, filij, benedictionem Patris nostri Theodosij. Videte, mandatum senis est, non expedit nobis illud transgredi. Verè ipse est, qui curam nostri gerit. Fratres autem in sua perstiterunt sententia, dicentes Abbati: Non suppetit nobis, quod dare possumus. Tunc Abbas contristatus ait illis: Ite, & secundum quod vultis facite. Non itaque, vt consuetum erat, dederunt benedictionem in die sãcto cœnæ, & parasceues, Profectus postmodum qui præerat horreis, aperuit ostia, & reperit triticum totum germinasse. Quare coacti postea sumus, illud in mare proijcere.